



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. Quinam excommunicati sint vitandi? Et in quibusnam teneamur eos
vitare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS II.

Quinam excommunicati sint vitandi?
Et in quibusnam teneamur
eos vitare?

- I. Excommunicati a proprio Prelato ubique Gentium privantur communicatione fidelium; & ab omnibus vitandi, si non sint tolerati.
- II. Non toleratus, seu vitandus dicitur, qui nominatim est denunciatus, excommunicatus, & publicus Clerici percussor.
- III. Tolerati eodem modo privantur ex parte sua communicatione fidelium, ac si essent vitandi.
- IV. Fideles etiam in divinis communicare possunt cum excommunicato tolerato, potestque hic Sacramenta administrare solum, si petantur. At num licite peti ab eo possunt?
- V. Quid requiratur, ut publicus Clerici percussor sit vitandus? Certe raro vitandus est.
- VI. Si in uno loco excommunicatus sit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percussor, estne vitandus, ubi denunciatio non est publica, nec percussio Clerici innotescit publice?
- VII. Num teneat vitare Petrum per hoc precise, quod aliquis fide dignus dicat, illum esse excommunicatum vitandum?
- VIII. Vitari debent excommunicati non tolerati in iis omnibus, qua denotantur eo versiculo, Os, orare, vale, communio, mensa negatur.
- IX. Num liceat illos resalutare, aut iis rescribere? Num liceat iisdem caput aperire, & alia signa urbanitatis prestare citra salutationem verbalem?

I. Certum est, excommunicatos ubique terrarum pati effectus excommunicationis, ut supra diximus quæst. 2. art. 7.: Quamvis enim quis a proprio Prelato excommunicetur, debet tamen in conscientia non solum in Diocesi sui Prelati, sed ubique abstinere ab omni fidelium communicatione, & a Sacramentorum, aliorumque divinarum participatione; secum enim excommunicationem defert, illumque sequitur, ut lepra leprosum, ut loquuntur Juristæ. Et eodem modo omnes fideles, quamvis non sint subditi illius Episcopi, a quo lata est excommunicatio, tenentur excommunicatum non toleratum vitare, obligatione inducta a jure communi.

II. Quæritur nunc primo; Quinam sint excommunicati vitandi, seu non tolerati; Quinam vero tolerati, & non vitandi?

Respondeo, jure antiquo omnes excommunicatos fuisse vitandos, ita ut qui publice cognoscerentur esse excommunicati, publice vitarentur; privati vero qui privatim noscebantur excommunicati, ex cap. Cum ab homine, de sententia excommunicationis: Jure autem novo ad vitanda scandala excommunicatus vitandus est solum, qui nominatim est denunciatus excommunicatus, & publicus, seu notorius Clerici percussor, ita ut factum nulla possit tergiversatione celare, aut expulare. Ita Concilium Constantiense anno 1444. & deinde Martinus Pontifex V. in Extravag. Ad vitanda scandala. Et quamvis Concilium Basileense sub Eugen. IV., & Lateranense sub Leon. X. voluerint, vitandos esse omnes publice excommunicatos, etiam si non sint nominatim denunciati; atque adeo hæreticos omnes notorios; Hoc tamen ab universalis Ecclesiæ consuetudine abrogatum est, & so.

solum in praxi habetur, quod a Concilio Constantiensi fuit definitum; siquidem sine ullo scrupulo, & sine Prælatorum reprehensione in Gallia, Germania, Belgio catholici conversantur cum notoriis hæreticis. Ita Con. dub. 2., Lug. in Responf. moralib. lib. 5. Suar., Avil., & alii communiter contra Fagnanum: Et quod dicitur de excommunicatis, dicitur etiam de suspensis, & interdictis, ut constat ex dicta Extravag. dicti Pontificis Martin. V.

III. Notandum tamen hic primo, excommunicatos toleratos ex parte sua eodem modo teneri a divinis rebus abstinere, & alios evitare, ac si non essent tolerati. Ratio est, quia decretum Concilii Constantiensis solum fuit factum in favorem aliorum, qui quamvis sciant Titium, verbi gratia, esse excommunicatum, possunt tamen cum eo conversari, perinde ac si non esset excommunicatus, si non sit denunciatus nominatim, aut non sit notorius Clerici percussor. Etenim in laud. Extravag. hæc habentur: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari.* Unde illud commodi dumtaxat habet excommunicatus toleratus, quod alii possint sine scrupulo secum conversari.

IV. Dubium tamen est; An possint alii cum excommunicato tolerato communicare etiam in divinis, inducendo illum, verbi gratia, ad administrandum aliquod Sacramentum, perinde ac si non esset excommunicatus?

Negant Avil., Sylvest. & alii; quia putant sic illum induci ad peccatum; quamvis si quis id faceret, ita peccaret peccato scandali, ut non incurreret excommunicationem minorem; eo quod non sit prohibitum iure Ecclesiastico cum excommunicato tolerato in divinis communicare.

Part VIII.

Verum probabilius Pal., Henr., Sanch., Filiuc. apud Hurt. difficult. 4., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 117. docent, posse alios communicare etiam in divinis cum excommunicato tolerato; tum quia Concilium Constant. sine ulla limitatione concessit, quod possimus cum eo communicare; tum quia finis talis concessionis est ad vitandos scrupulos, & scandala amovenda; non vitarentur autem hæc, si non esset simpliciter permissum cum iis communicare.

Ad id, quod objicitur de scandalo, respondetur, excommunicatos toleratos eo ipso, quod ab iis petatur, verbi gratia, administratio alicujus Sacramenti, posse illud licite administrare, dummodo cum debita dispositione illud administrant; nam propter excommunicationem solum non possunt se ingerere ad illa administranda, sed non prohibentur ea administrare, si petantur; quia cum hoc privilegium concedatur aliis, ut possint communicare cum excommunicatis toleratis, & petere ab iis Sacramenta, conceditur consequenter talibus excommunicatis, quod ea administrant, dum petuntur. Quare non inducuntur ad culpam ullam, dum inducuntur ad administranda Sacramenta: Secus vero si sine ulla necessitate induceretur excommunicatus toleratus ad celebrandum Sacrum, verbi gratia, quod sine peccato facere non potest, antequam absolvatur; debet enim a peccatore ante susceptionem Eucharistiæ præmitti Confessio; quin sufficiat secundum se sola contritio; & quia sacramentaliter absolvi non potest, non præmissa absolutione ab excommunicatione, ideo sine culpa gravi ante Absolutionem celebrare non potest.

Notandum secundo, quod quamvis non teneamur vitare excommunicatos toleratos, possumus tamen eos vitare,

K &

& quidem publice, si sint publice excommunicati, ut haeretici, & privatim, si sint excommunicati privatim. Ratio est, quia ex Concil. Constant. nullum isti acquisierunt jus, ut diximus, ideo iis nulla irrogatur injuria, si videntur; dummodo certo constet de contracta ab illis excommunicatione; nam si sit dubium, non possumus sine injuria illos vitare; in dubio enim melior est conditio possidentis.

Notandum tertio, ad hoc ut aliquis dicatur excommunicatus non toleratus, non satis esse, quod sit nominatim excommunicatus, sed praeterea debet esse denunciatus, seu declaratus incurrisse excommunicationem, non solum in concistorio judicis coram litigantibus, sed etiam in loco publico, puta in templo tempore concionis, aut missae solemnis, vel in platea, sive per schedulas publicis in locis affixas, quaedicuntur Cedulones. Ita communiter cum Avil.

V. Notandum quarto, percussorem Clerici, ut sit vitandus, debere esse publicum, & notorium, atque adeo non satis esse, quod a tribus, vel a quatuor id sciatur; Immo ex Leand. nec satis est, quod sciatur a decem in magna civitate, sed arbitrio prudentis viri judicandum, quando percussio dicatur notoria: Si enim fiat coram gravibus personis in foro, & interdum, pauciores requiruntur testes ad notorietatem, quam si fiat domi, vel noctu: Praeterea requiritur, ut percussio non solum sit nota notorietate, & evidentia facti, sed etiam quod nullatenus possit probabiliter excusari a culpa gravi; Cum autem raro id accidat, ideo raro tenemur vitare percussores Clericorum, antequam nominatim denuncientur: Quis enim non possit in excusationem adducere, vel quod primo impetu sine plena deliberatione Clericum percusserit, vel per jocum, vel quod ad defensionem,

vel quod Clericum non cognoverit, aut ad illum non adverterit? Ita Castell., Fagund., & alii apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 61.

Hinc sequitur, quod si quis coram me percutiat Clericum, ita ut sciam, & ille etiam fateatur incurrisse in excommunicationem, non per hoc teneor illum privatim vitare, ut tenent Suar., Filliuc., & alii; quia non est notorius percussor, dum coram uno Clericum percutit: Immo nec est notorius percussor, si laborat publica infamia, quod Clericum percusserit, si vere Clericum non percussit publice, seu coram multis testibus; quod requiritur ad notorietatem facti; secus vero si fama publica sit, quod publice Clericum percusserit.

VI. Queritur secundo; si excommunicatus sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor solum V. G. Neapoli, & non sit publica talis denunciatio, vel Clerici percussio Romae, num etiam Romae debeat vitari?

Respondeo, Avil., Pal., Sanch. & alios cum Dian. part. 5. tract. 9. resol. 134. negare; quia excommunicatus publicus in uno loco, si non sit publicus in alio, non est tractandus in illo alio loco tanquam publicus excommunicatus, atque adeo non est ibi vitandus: Etenim quamvis denunciatio excommunicationis afficiat personam, id tamen intelligendum respectively ad illos, quibus denunciatur, seu ad quorum notitiam devenire potest denunciatio; Unde fit, quod si Romae scias, Titium esse excommunicatum nominatim denunciatum Neapoli, quamvis possis, non tenearis illum Romae vitare, quia ibi denunciatio non est publica, seu notoria.

Verum probabilius oppositum docent Vasq., Suar., Bonac., Henr., & alii apud Hurt. disp. 9. difficult. 4; quia jus novum in hoc tantum immuta-

mutavit jus antiquum, quod non teneamur excommunicatum vitare, nisi si sit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percussor; ergo sicut jure antiquo excommunicatus publicus erat vitandus publice, privatus privatim, ita nunc jure novo excommunicatus denunciatus publicus debet vitari publice, & privatus privatim; ergo si Romæ habeam privatam notitiam, quod Titius sit Neapoli nominatim denunciatus excommunicatus, Romæ teneor illum privatim vitare; & si publice sciatur, debeo illum vitare publice.

VII. Dubitatur hic; An si quis fide dignus, puta Parochus, dicat mihi, Titium esse excommunicatum vitandum, teneor illum vitare?

Respondeo, Palud. asserere; Sed negat probabilis Navar., Bonac., & alii apud Leand. disp. 15, quæst. 58.; quia quamvis possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, etiam fide digno, præsertim in damnum tertii: Quis enim credere teneatur, quod subsit, verbi gratia, impedimentum dirimens suo matrimonio solum ob dictum unius, licet fide digni? potest quippe etiam fide dignus facile decipi. Secus tamen dicendum, si Parochus ostenderet literas denunciatorias, quibus procul dubio credendum esset.

Utrum autem non solum publicus Clerici percussor vitandus sit, quamvis non sit nominatim denunciatus per Cedulones, sed etiam quilibet alius, de quo publice constat, quod in excommunicationem inciderit, quin possit ulla tergiversatione celari, aut ullatenus excusari? Affirmat Fagnan. in Cap. *Quod a Prædecessoribus*, de *Schismaticis* num. 53. Sed communius negant cum Suar. disp. 9. sect. 2., Lug. in Respon. moral. lib. 2. dub. 3.

VIII. Quæritur tertio; In quibusnam teneamur vitare excommunica-

tos non toleratos?

Respondeo cum communi Doctorum, prohiberi omnibus communicare cum excommunicatis in iis, quæ continentur in versiculis illis Gloss. cap. *Statuimus*, de *sententia excommunicationis* in 6.

Si pro delictis Anathema quis efficiatur,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

IX. Primo prohibetur *Os*, hoc est osculari, aut amplexari, & colloqui cum excommunicato etiam per signa, & nutus, etiam per literas, aut internuntium, etiam audiendo illos tibi loquentes. Et quamvis Pal., Henr., Sa, & alii apud Leand. disp. 13. quæst. 10. putent non esse prohibitum rescribere, nec resalutare excommunicatum; quia hæc est solutio quædam debiti, quæ etiam respectu inimici obligat: negant tamen probabilis Suar., Bonac., Filliuc., Avil.; quia sicut nullo pacto est licitum respondere excommunicato interroganti, ita nec rescribere, neque resalutare; cum hæc quædam communicatio sit, & omnis communicatio cum excommunicato est prohibita in pœnam sui delicti, & ut sic facilius resipiscat. Nec licitum est ei munera mittere, aut ab eo recipere; Si tamen reciperentur, non daretur obligatio ex iustitia ea restituendi, aut dandi pauperibus.

Secundo prohibetur *Orare* hoc est participare cum excommunicato in Sacramentis, in Sacrificio Missæ, in Officiis divinis, & aliis precibus, & orationibus: Unde in officio divino, a quo excommunicati non deobligantur, non possunt dicere, *Dominus vobiscum*, quod ex usu Ecclesiæ a Sacerdotibus, & Diaconis tanquam Ecclesiæ publicis ministris dicitur, sed dicere debent, *Domine exaudi orationem meam*. Nec possunt cum aliis

liis in processionibus, & litiis publicis ire, nec comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa, & recitatione Psalmorum defertur ad infirmos: Et quamvis possint concionem sacram audire, non possunt tamen concionari, aut discipulos docere, aut cum aliis discipulis lectioni interesse; ut communiter docent contra Henr. Nec possunt aqua benedicta uti, cum sit quoddam Sacramentale, valorem habens ex meritis Ecclesiae, ut docent Bonac., Ugolin., & alij contra Machado. Quod si excommunicatus non toleratus missae assistat, nec possit ab Ecclesia expelli, relinquenda est missa incepta, dummodo non sit inceptus Canon, idest, *Te igitur*; ut docent Bonac., Henr., Reginald.; Suar.: Alii vero cum Sayr., Sot. Vasqu., Leand. disp. 7. quaest. 38. probabilius docent, etiam incepto Canone, relinquendam esse, dummodo non sint dicta illa verba, *Qui pridie &c.*, quibus censetur incipere consecratio; tunc enim missa usque ad sumptionem perficienda est.

Tertio prohibetur, *Vale*, hoc est salutare excommunicatum verbis honorificis, aut aperiendo caput, illi assurgendo, dando locum, &c.; haec enim sunt signa salutationis, & quaedam communicatio. Potest tamen saluari verbis deprecativis dicendo, verbi gratia, Deus te convertat, illuminet, &c. Magnatibus, & Judicibus excommunicatis ex vi juris non licet caput aperire, sed ex consuetudine in utilitatem fidelium introducta, ad vitandas rixas, inimicitias, aut damnum aliquod, licitum est. Ita Henr., Filliuc., Bonac. apud Leand. disp. 13. quaest. 20. Immo universim prohiberi solam verbalem salutationem, non vero alia signa urbanitatis, docet Turrian., Sayr., Dian. part. 5. tract. 9. resol. 116. Quamvis autem opposita sententia sit probabi-

lior, expedit tamen saepe juxta illam opinionem operari potius, quam exponere se periculo peccandi venialiter aperiendo caput, vel alia hujusmodi urbanitatis signa exhibendo erga excommunicatum vitandum; Praefertim quia Apost. dicendo, *Nec Ave ei dixeritis*, videtur solum verbalem salutationem erga excommunicatos inhibuisse.

Quarto prohibetur *Communis*, videlicet communicatio externa in habitatione, societate, contractu, &c., unde non possumus cum excommunicato vitando in eadem domo, ut focii, habitare; possumus tamen in eadem domo esse, si materialiter tantum cum illo cohabitemus, videlicet ita ut simus in diverso cubiculo, lecto, & mensa, & pro diversis negotiis, &c.

Demum prohibetur *Mensa*, hoc est, quod in eadem mensa, seu triclinio cum excommunicato comedamus.

ARTICULUS III.

Sub qua culpa, & poena excommunicati vitandi sint?

- I. *Communicatio in rebus civilibus fert de se veniale; in divinis vero mortale.*
- II. *Mortaliter peccat, qui communicat cum excommunicato in rebus civilibus ex contemptu. At non dicitur operari ex contemptu, qui frequenter delinquit, sed qui ex motivo contemptus legis, aut legislatoris delinquit.*
- III. *Sicut etiam qui cum excommunicato vitando communicat in crimine criminoso; aut si excommunicentur communicantes cum excommunicato.*
- IV. *Communicatio in divinis cum excommunicato admittit materia peccati vitanda.*